EPHEMERIDES 2. OBSERVATIONUM PHISICO-ANATOMICO-MEDICARUM IN...

Galgano Petrucci



VIR EXCELLENTISSIME.

COgitanti mihi, qui benevolentia, beneficiis, & auctoritate apud me plurimum possunt, eos esse a me omnes excolendos honore, & amore prosequendos juxta illud Ci-

ceronianum (1) De benevolentia autem, quam quis habet erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur; *statim obversatæ sunt animo plurimæ illæ, maximæque tuæ virtutes, VIR EXCELLENTISSIME, quas ego ab initio studiorum meorum ad medicam artem pertinentium, Auditor tuus in te docente potissimum admiratus sum. Et re quidem vera me tibi plurimum debere lubentissime fateor. Hæret enim adhuc, hærebitque, dum vivam tua illa in humani corporis economia tam diserte, copioseque explananda doctrinæ præstantia, tuæque humanitatis, ac benevolentiæ memoria, quibus me supra cæteros tuos Auditores semper cumulasti. Tua igitur hæc humanitas, ac benevolentia, suavissimique tui mores cum summa rerum medicarum scientia conjuncti, me ita devinxerunt, ut eas modo tibi pro viribus grates referre cogitaverim, cum me non lateat qualem de te opinionem habuerint, cum tui mentionem fecerint Cocchius, Targionius, Hallerus, aliique in re medica Clarissimi Viri. Accedit, & illud, quod Analysim meam de Aquis mineralibus Clanceanensibus nuper editam, non solum auctoritate tua tamquam absolutum opus probasti, sed laudibus etiam fortasse immeritis unquam*

(1) Cic. 1. Off. 47.

quam non exornasti. Cum itaque tot beneficiorum vinculis me tibi obstrictum, agnoscam, excipe quæso (etsi modestia me tua probibet) VIR EXCELLENTISSIME, ea qua soles propensa in me benignitate hoc alterum opusculum meum argumentum firmissimum, atque sincerum existimationis, & observantiæ erga te meæ, tibique persuade, adulationem, tamquam pestem omnium maximam in amicitiis Tullio duce (1) me quoque semper existimasse, quidquid incassum garriant malevoli. Quod si compta illa styli elegantia, quam tu semper amasti ad hasce meas observationes perlegendas fortasse non alliciet, hæc tamen, ut ego auguror, rerum quas continent utilitate compensabitur. Vale.

(1) Idem de Amicitia 93.



§ I.

VIx septem post dies mensis Februarj, quibus ob aeris quamdam tepentem, & placidam constitutionem pleuritides jam omnino quiescere videbantur, iterum spirante aquilone austrina tempestate sequuta, frigida, atque humida mox ingruens cœli temperies aggressa est.

Hyemali tempore mensis Februarj cæteros superavit & aeris inconstantia, & frigoris rigiditate: thermometrum enim ad punctum *o* diebus 15. 16. & 17. descendisse adnotavimus, hinc alterna vice ad gradus 5. 6. & 7. pervenire eadem die admirantes adspeximus. Hinc nives, hinc pluviæ sequutæ, hinc frigus calorem excepit, & tepori frigus successit. Tusses ubique numerosiores grassabantur, & Pleuritides, & Peripneumoniæ in Nosocomio apparuere, & diebus 16. 17. & 18. quinque Rustici pleuritide maligna, & biliosa laborarunt prædicente Frid. Hoff. (1) qui in tanta aeris vicissitudine semper idem observasse nobis tradidit.

Mali moris fuere pleuritides, pessimisque symptomatibus stipatæ; jacebant enim ægroti viribus deperditis, facie Hyppocratica, & signa præseferebant ejusdem illius biliosæ pleuritidis a celeb. viris Bianchi (2) Valcarengho (3) Tissot (4) nobis descriptæ.

 In

(1) Frid. Hoff. hist. cor. hum. § 399. Idem in med. rat. syst. T.IV. Sect.I. P.I. Cap.X.
(2) Bianchi hist. epat. P.III.
(3) Valc. med. rat.
(4) Tiss. de pleuritide bil.

In curatione horum morborum eadem methodo, quam mense Januarj adhibuimus usi non sumus; sanguinem detraximus verum parce: hic induit crustam polyposam, & post primas evacuationes rarum & dissolutum vidimus uti Huxam (1) observavit, & Pringlius (2).

A fomentis, & resolventibus anodinis initium curationis instituimus approbante Hyppocrate (3): iteratas sanguinis detractiones non jussimus, consilia sequentes magnorum in re medica virorum, & Baglivi (4), qui in morbis hisce sanguinem non detrahebant.

Idem experimentis confirmarunt Fernelius, Duretus, Prosperus Martianus, Glass, Valcarengus, & Juncher; quamobrem solum decoctis aperitivis, & medicamentis bilem attenuantibus, & educentibus hos morbos oppugnare incepimus. Tres superati sunt, verum duobus ægrotis eodem morbo detentis nobis non datum fuit auxiliari; pulsus enim in majorem crebritatem mutati læthalem peripneumoniam annunciantes, testantibus summis viris Galeno (5) Huxam (6), & Swetenio (7) brevi interitum ægrotis attulerunt.

Hii Septimo morbi die læthargici facti sunt, & sic omnibus irritis auxiliis, ventris solutione oborta, vera pulmonia læthargica, nobis ab Hyppocrate (8) descripta, occubuerunt.

Similem nobis tradidit Ballonius (9) eventu funestam pleuritidem, & ambo hi maximi viri in illis casibus valde exiguam vitæ spem esse affirmarunt.

Signa

(1) Huxam de angina malig.
(2) Pringle sup. mem. VII. es.45.
(3) Hyp. de vit. acut. n.11.
(4) Bagl. lib I Cap.IX. app. ad pleur.
(5) Gal de caus. puls. lib.IV. cap.VIII.
(6) Hux. essai sur le fiev. cap IV. des pleur. p.285.
(7) Van-sw. com. in Boer. aph. §.890.
(8) Hyp. lib.III. de morb. p.5. & lib.II. epid. p.78.
(9) Ball. cons. 45. T.I. pag 157.

Signa, & notas charateristicas pleuritidis biliosæ a sanguinea omnino absimilis a libris Hyppocraticis (1) hausimus, & e sputi forma probe cognovimus: etenim primum flava, & rufa, deinde pallida, & nigra expuebant ægri. Idem nos docuit Alexander Trallianus (2), & inter antiquiores Avicenna (3), quamobrem aliam curationem in curandis istis pleuritibus instituimus Bianchi (4) & Guidetti (5) id edocentibus.

Quomodo vero bilis inflammationem pectoris, & cætera symptomata læthalia producat medici differuerunt, &inter cæteros Fridericus Hoffmannus (6) nobis edixit bilem amurcaceam, & æruginosam posse visceribus maxima afferre damna, & nos experientia edocti sumus; bilem, quæ vomitu ejecta est a pleuriticis biliosis tæniarum fragmenta erodere, uti supra laudatus Hoffmannus observavit (7), atque etiam ventriculum perforare observante Borrichio, (8) supra lateres coctos ebullir emonente Borellio, (9) duodenum, stomachumque exulcerare, uti docet Bianchi (10) celeberrimus, & diligentissimus observator, & uti nos in nonnullis hominibus biliosa pleuritide extinctis alias observavimus.

Has observationes tuetur & ipse Swetenius (11) dixit enim, *si vero bilis vel copia aucta, vel incipiente putredine peccet corrumpit omnia, & morbos*

acu-

(1) Hyp. lib. III. de morb.
(2) Tral. lib. II. cap. III.
(3) Avic. lib. III. fen. 10. Tra. 4. cap. VI.
(4) Bianchi hist. epat. part III.
(5) Guid. diss. de pleur. bil.
(6) Frid. Hoff. dis. de bil. ven. nost. corp. §. 26.
(7) Idem in diss. de duod. mult. morb. caus. n. 3.
(8) Act. med. Haff. T. III. obs. 36.
(9) Bor. cent. II. obs. I.
(10) Bianc. hist. hepat. p. III. pag. 220.
(11) Sw. Com. in Boer. aph. §. 84.

acutissimos omnia putrefacientes excitat; & Petrus a Castro (1) quædam enarrat symptomata a bile corrupta ortum ducentia, quæ optime nostris pleuriticis conveniebant.

In nostris ægrotis alvus soluta erat septimo morbi die, dejectiones putridæ, biliosæ, & graveolentes: sanguis extractus post primas evacuationes, dissolvebatur; levia deliria, lachrymæ involuntariæ, rubores in genis pleuriticos comitabantur, & sic XIII., aut XV. morbi die duo occubuerunt. Sic etiam observavit Ballonius (2).

Tres vero, qui cito antisepticis usi sunt, & nobis obtemperantes curationem lenibus evacuantibus libenter recepere, septimo morbi die melius se habebant, his nec alvus fuit soluta, nec sputum suppressum; nec læthargo, nec virium jactura oppressi sunt; quamvis vero dolorem in costis intensiorem persentirent.

Aculeum illud ita a doctissimo Senac (3) nuncupatum, dolorem, & inflammationem afferens magis magisque ita increbuit, & unus ex istis æger incurvatim jacens costas respiratione non moveret, furtive respirans, & sic a solo diaphragmate tota respiratio committebatur, observantibus summis in re anatomica viris Winslowio (4), & Hallero (5). Verum solis decoctis papaveratis cito sedavimus innixi Aretei (6) & Galeni (7) auctoritati.

Probe novimus illustrium medicorum controversias, & obversantes auctoritates, & præsertim cl.

(1) Petr. a Cast. in descrip. pestis Neap. ann. 1656. & 1657.
(2) Ball. lib II. epid. pag 78.
(3) Sen. struc. du cœur. lib.IV. cap I. § 15.
(4) Winsl. mem. des acc. des scien ann.1738. pag.86.
(5) Hall. Phys. lib VIII. sec.IV. § 6.
(6) Aræt. de cur. mob ac I.I. cap IX.
(7) Gal. com.I. in lib. Hyp. de vic. rat. n.33.

cl. Trilleri, & Friderici Hoffmanni, qui opiatorum usum in sedandis vehementibus pleuriticorum doloribus mirum in modum damnaverunt; at nos in tribus pleuriticis maximo fuisse auxilio experti fuimus more Huxamiano (1), & domini De-Haen (2).

Fortasse nonnulli arbitrabuntur nos pleuritides, quæ hoc mense in Nosocomio apparuere, confundere cum illis, in quibus juxta Ballonii (3) effatum phlebotomia erat inutilis, & noxia etiam, & uti nobis descripsit Manardus (4): probe illas a nostris notis charateristicis distinximus, quas nobis tradit Etmullerus. Sanguinem detraximus, sed non copiose, camphoratis remediis usi sumus, papaverata remedia cum lenibus evacuantibus adhibuimus docente De-Haen (5), & pleuritici biliosi pristinam sanitatem adepti sunt, exceptis duobus, qui neglecta nostra curatione eresipellate pulmone tumefacto, uti audies in sectionis descriptione, Hyppocrate (6) prædicente diem obiere supremum.

§. II.

Quod notatu dignum adspeximus, audi Vir Excellentissime, & meditare quæso, quomodo pleuritis gravissima judicata est sola naturæ vi, & conatu; quam historiam profecto nemo Praticorum descripsit, & memoriæ Medicorum mandavit, uti nobis usque adhuc innotuit.

Rusticus annorum circiter 40. a pleuritide corripitur, jacens in Nosocomio sæpe sæpiusque querebatur de lateris dolore sævissimo, & sensu ponderis in sinixtra thoracis parte. Erat febris acuta,

(1) Hux. de aer. & morb. epid. ann. 1731. pag. 64. Idem essay sur le fiev. cap IV. des pleur. pag. 110.

(2) Haen rat. med. T.I. cap.II. part.XIII.

(3) Bal. T.I. epid. p. 13.

(4) Man. ep.V. l.XII.

(5) De-Haen loc cit.

(6) Hyp. de inte. aff. n.8. pag. 229.

ta, spiritus frequens, & calidus, uti dixit Hyppocrates [1], anxietas, & jactatio: tussis vehemens, gravia pulsuum vitia, & sputa pauca, & livida: alvus solvebatur crebrius, & copiosius quam oporteret, quamobrem juxta Hyppocratis [2] prædictiones alvi profluvium, malum pronunciavimus.

Interim nisi erecta cervice spirandi necessitas erat, & cum proximus morti videretur, Baglivio [3] prædicente, valde tumens apparuit tumor in musculo pectorali dextro, qui paucis diebus suppuravit, & magna puris copia ejecta est. Continuo æger se in melius habere cœpit, & absque ullo artis auxilio perfecte convalescit.

Hanc observationem Baglivius [4] adumbravit, & Thomas Willisius [5] & Ludovicus Duretus [6] similia exempla narrant abscessuum icorosorum in pleuritibus supervenientium, qui in thorace effusi sunt, & per sputa purulenta repurgati, verum externe sic oborti illæsa pulmonum substantia pauca, aut nulla exempla apud Medicos leguntur.

Credimus profecto hanc saniosam materiem in pulmone colligendam, ibique vomicam pulmonarem producendam, aut saltem, quod notavit in praxi medica versatissimus Baglivius [7], & sic empyema fœtens oriri debere, uti descripsit Petrus Forestus [8] evenisse in muliere, cui pleuropneumonia in vomicam pulmonarem degeneravit, nisi natura hac via a tanta labe pulmones non liberasset

(1) Hyp. de mor. l III. n.16.
(2) Hyp. sec.6. aph.16.
(3) Bagl. de pleur § 1.
(4) Bagl de cris. & dieb. cr. § 1. pag 34.
(5) Wil. pharm. rat pag.2. sec. 1. cap.X. pag.116.
(6) Dur in coac. Hyp.
(7) Bagl. prax. med. lib.I. cap.IX. pag 35.
(8) For. obs. med. lib XVI obs 41.

ſet, eujus dira exempla leguntur apud Duretum (1) & in Swetenio [2].

Hanc pulmonis illæſionem facile erat in noſtro pleuritico prædicere. Tantis enim ſympthomatibus ſupra enarratis vexatus, in dextro, ſinixtroque latere æque poterat decumbere cum Aræteus ſentiat [3] a pondere, & ſuſpenſione, & phlegmone in omnes membranæ continuas partes decubitum difficilem eſſe.

Coelius Aurelianus (4) hanc explicationem nobis tradidit, & cl. Morgagnus [5] melius hanc ſententiam elucidavit in epiſtolis Anatomicis medicis, quamobrem pulmonis ſubſtantiam ſanam neque tam facilem eſſe ad purulentas collectiones efformandas conjicere nobis licuit actente Hyppocratis [6] prognoſtica conſiderantibus, & clar. Swetenii (7) doctrinam recte exiſtimantibus.

Pus eductum bonas profecto notas ſemper habuit, ſemperque album, leve, & æquale fuit, & nullo modo fœtens: optime ſuccedit curatio juxta Hyppocratis [8] prædictiones, & uti animadvertit Cœlius Aurelianus [9].

§. III.

Sed jam de morbis acutis hactenus, nunc de cronicis nonnulla dicemus.

Venit in Xenodochium lienoſus annorum fere 34., qui diu multumque in aere craſſo, & paludoſo verſatus, poſt diuturnam febrem intermittentem lienem habuit mole auctum.

Tumor

(1) Dur. Com. in coac. Hyp. pag.310., & 311.
(2) Swiet. Com. in Boer. aph. §.836. 844. 848.
(3) Aræt. morb. ac. l.I. cap X.
(4) Aur. acut. morb. l II cap.XVI. n.98.
(5) Morg. epiſ. anat. med XX. T I. art.42.
(6) Hyp. prog. Chart. T.VII pag 650.
(7) Van Sw. Com. in. Boer. aph. §.835.
(8) Hyp aph 44. ſect VII.
(9) Aur. morb. cron. l.V. cap X. pag.550.

Tumor lienis fere totum hypocondrium replebat; & sic adhuc intumuerat, ut laterem tractare diceres.

Prima hydropis signa jam apparuerant in pedibus tumefactis, & edematosis prædicente Hyppocrate [1], urinæ paucæ, & rufæ; tumor lienis mirum in modum auctus, & elatus; febris quartana aderat, & paucis transactis diebus intermittente, & quotidiana laboravit; quamobrem optime dixit Hyppocrates, *morbus idest splenis tumor fit cum ex febribus, & mala curatione bilis, aut pituita, aut ambo in splenem incubuerint.*

Hujus phoenomeni explicationem cel. Morgagnus [2] nobis tradidit, & quomodo id evenire possit Aetius [3] scripsit: lapsum enim per se viscum & cellulosum, ex quo lentus est sanguinis reditus, uti patet ex physiologicis maxime opportunum est tumoribus, præsertim si diuturno morbo ejus viribus infirmatis, & sanguine inerti facto in lienis cellulis relinquuntur, quæ aut corrigi, aut eicj extra corpus debuissent; sicque reditus sanguinis obstruitur, & magis magisque illæ distenduntur, & infirmiores evadunt, quamobrem quæ deinceps influunt, magna ex parte retinentur: sicque obstructio, & distentio.

Ad tantam lienis obstructionem reserandam, antimonium crudum adhibuimus, memoriæ mandantes Moscatum insignem Mediolanensem medicum lienosum alium curasse hoc auxilio, uti videre est in collectione opusc. med. prat., quam typis mandat (4) Doctor Aloysius Targionius Florentinus, medicorum juvenum vere decus, & ornamentum; & revera curationem integram obtinuimus

(1) Hyp. in lib. præd. II. n. 42.
(2) Mor. epist. an. med XXXVI. art. 18.
(3) Aet. tetr. 3. serm. 2. cap XVI.
(4) Tar. vol III. pag. 188.

nuimus admixtis cum antimonii crudi gr. X., saponis veneti drac. j. & extr. mart. scr. j.

Nos non fugiebat cl. esse viros, qui arsenicales veras particulas (1) in antimonio contendant, & meminimus historiæ præcl. Henchelii [2], qui ab antimonio funestos vidit effectus, & tartarum emeticum, quod ab antimonio preparatur cum Jacobus Felix [3] dedisset cani, & vomentem adhuc aperuisset, maximam ad pylorum inflammationem per aliquod pollicum spatium vidit.

His exemplis perterriti diu hæsimus; at tanti viri auctoritati innixi antimonium imperavimus. Ab eodem assumpto nihil mali, & nullum saluti detrimentum evenisse observavimus. Pillulis antimonialibus usus est diebus 7. alterna vice noster lienosus, & quod mirabile est cito lien absque ulla sensibili evacuatione detumuit, & in statum naturalem redactus est: febres evanuere, urinæ copiosiores ejiciebantur, & citrinæ, & bene coloratæ apparuerunt; sic optime convaluit: sæpius vero lien dolebat, quod optimum esse curationis signum cl. Archiater Viennensis [4] edixit; idcirco paucis transactis diebus absque ullo salutis detrimento in suam regionem reversus est lætus, & gaudens.

§. IV.

Admirandum nunc apoplexiæ exemplum tibi narrabo, & qua ratione apoplecticus curatus fuerit, attente considera.

Jacebat in Nosocomio Bajulus annorum circiter 40., temperamento pituitoso præditus, pulsibus frequentibus, & quasi febricitantibus. Hic sæpius sæpiusque Nosocomium invisit, auxilium quærens sævis-

(1) Comm. lit ann. 1739 Hebd. XIV.

( ) Henc. in act. N. C. T.V. obs.15.

(3) Fel. exp.11: inter ea, quæ addit in dis. de mor. peri. int.

(4) Sw. com. in Boer. aph. §.23. n.3.

ſævifſimis, ut ajebat, capitis doloribus. Sanguis idcirco pluries detractus fuit, & purgatio adhibita; verum nil proficiens iterum venit in Xenodochium menſe Februarii.

Paucis elapſis diebus ſtranguria laboravit, & poſtea repente apopleticus fit abſque ulla pulſuum mutatione ſenſibili; ſtertentem, & oculis defixis, & immotis invenimus; reſolutionem ut ait Aræteus [1] totius corporis & ſenſus, & motionis facile erat adnotare. Interrogatus nil reſpondebat, ſtimulis forti manus compreſſione vexatus non expergiſcebatur, idcirco cum Aegineta (2) ſenſimus comuni nervorum principio affecto, inde in omnibus corporis partibus motum ſimul, & ſenſum perdidiſſe.

Phlebotomiam ullo modo jubere noluimus, quamvis ſummi in re medica viri Aræteus [3] & Celſus (4), aliique praticorum quamplurimi hanc praxim ſummopere commendent: nam a prædominio lymphæ extravaſatæ, uti docuere Boerhaavius (5), & Carolus Piſo (6) malum oriri cenſuimus, idcirco Hyppocraticam (7) doctrinam ſequuti ſanguinem non detraximus, & monente Boerhaavio (8) ad veſſicantia nucæ primum, deinde tibiis applicata potius confugimus.

Hæc diximus, quia, ut ait cl. Swetenius (9) nihil magis familiare eſt in praxi, quam ut medici illico ad ſanguinis miſſionem confugiant, ubi apo-

(1) Aræt. de cauſ. & ſig. mor. diut. l.I. cap.VII. pag 24.
(2) Aegin. lib III. cap.XVIII. pag.31.
(3) Aræt. de cur. morb. acut. l.I. cap.V. pag.81.
(4) Cel. l.II. cap X. pag 79.
(5) Boer. aph.1034.
(6) Piſ. de mor. a ſer. coll ort.
(7) Hyp. coac. præn.343. & 401.
(8) Boer aph.1034.
(9) Van-Sw. de cog. & cur. morb. de apopl §.1026.

apoplexia metuitur, Celsi generale [1] axioma sequuti dicentis, *sanguinis detractionem in istis casibus vel occidere, vel liberare*.

Duobus elapsis diebus postquam cervici vessicatorium impositum fuit exemplo cel. Wepferi [2[paulatim expergisci, & verborum quorumdam sonum edere; hinc delirare incepit, & duobus diebus deliravit, & magno erumpente sudore in se rediit; iterum deliravit, & sic apparentibus copiosis sudoribus alternis vicibus a morbo liberatus est.

Multa quidem exempla in medicorum observationibus extant, a vi morborum mentis sanitatem deperditam esse, & multa Hallerus [3] enarrat, & Galenus (4) ante ipsum hæc observavit; verum hujusce periodici delirii post apoplexiam orti nulla apud auctores mentio. Interim hæc considerantibus nobis licuit de hac permutatione paroxismi apopletici a delirio soluti nonnullas iniicere conjecturas, & Hallerianas theorias parumper perpendere.

Variæ sunt vires, quæ ad motum muscularem peragendum concurrunt, quarum majores sunt stimulus, nervi, vis insita contractilis musculorum, & sanguis, ut optime edixit Hallerus (5), itemque partes sensibiliores non esse contractiles; & e contra dari contractionem absque sensus necessitate docuit supra laudatus cl. auctor [6].

Quæ cum ita sint, maxime requiritur ad integritatem vitæ, arteria libera, & sanguinis expeditum ad omnes partes iter; eo intercepto causa vitæ ablata est, atque adeo ea omnia disparent, quæ a vita sequuntur motus, sensus, & calor [7].

(1) Cel. L III. cap. XXVII pag 178.
(2) Wepf obs med prat. de aff. pag. 71. & 229.
(3) Hall. Phys. L XVII sec. I. § 6 & 9.
(4) Gal de sym. caus. L II cap. VII.
(5) Hall. lib. XI. sect. IV. § 8.
(6) Hall. opus. min dis. 13. ect. 8. exper. 161. p. 365.
(7) Hal. Phys lib. XI sect III § 20.

Nunc quæso his doctrinis nostram apoplexiam quomodo explicabimus? A serosa colluvie cerebro inundato cessaverunt illico sensus, & motus voluntarii, delirio superveniente redierunt sensus, & motus. Cessavit ne stimulus ab oppressione substantiæ obstupescentis? Iterum rediit ne superveniente stimulo fortiori materiæ, quæ affectu ad inflammationem accedebat, uti edixit Morgagnus (1)? Verum nervum immotum manere dum musculus ab irritato nervo in tremores agitur, dixit & ipse Hallerus (2).

Hæc igitur an revera evenerint in nostro apopletico edicere non audemus, & an vera sint doctissimorum virorum judicio relinquemus: tantas enim componere lites nobis non licet. Interim vere asserimus apopleticum solis vessicatoriis, & delirio inde oborto, & copiosis sudoribus erumpentibus apoplexiam superasse. Nunc aliqua nobis placet adjungere, quæ in Morgagno (3) legimus. Diximus superius nostrum ægrotum priusquam apoplexia correptus esset stranguria laborasse. Factum crediderim, ut cum seri quo sanguis redundabat nihil amplius recipere urinaria instrumenta possent quippe distentissima, quod reliquum erat in cerebrum aut irruerit, aut destillaverit, & sic hominem apopleticum fecerit. Idem evenisse in stabulario testatur & ipse Morgagnus (4).

§. V.

Duos emoptoicos curavimus hoc eodem mense, juvenes ambo, verum ætate impares. Senior temperamento erat pituitoso, collo oblongo, & depresso thorace. Tussi nocturna vexabatur, & tussiendo sputum sanguinolentum emittebat: gravis quoque erat respiratio post motum præsertim quan-

(1) Mor. ep. anat. med. VII. art. 16.
(2) Hall. opus min. T. I. exper 161.
(3) Mor. ep. anat. med. IV. art. 10.
(4) Morg. loc. cit.

quantumvis levem. Hic equitare coactus, quam commendavit Sydenamius (1) in his morbis equitationem minime utilem deprehendit, & diebus autumnalibus vehementer, & acute sermocinatus consilia cel. Sanctorii (2), qui emoptoici sacri Oratoris exemplo comprobavit felicem eventum, valde noxia expertus est. Magnam enim pulmonaris sanguinis copiam ore ejecit, & omnia in pejus ruere cæperunt: non omnia omnibus prodesse auxilia dixit cl. Morgagnus (3).

A Ramazinianis (4) potius præceptis, & doctrinis morbi hujus levamen, & juvamentum percepit. Quietus enim vivere constituit, & exercitia corporis violentiora effugere: verum tussi vexabatur, & interdum sputa sanguinolenta ejciebat. Sanguinem huic detraximus, sic impetum a pulmone cohibuimus, deinde specifico Helvetiano, & postea lacte vaccino multa aqua diluto usi sumus. In melius curatio processit, & quamvis sanguis omnino non evanuerit, attamen tussis sedata fuit, & proxima veris tempestate dietam lacteam Mortoni (5) methodo imperavimus.

Junior annorum 20. sanguinem tussiendo eructabat: huic etiam phlebotomiam imperavimus, & quæ ad pulmonem spectant medicamentis statim usi sumus.

Sanguinem superne effundere, qualiscumque fuerit, malum, dixit Celsus (6), ideoque de pulmone valde timebamus; at in aliis sedibus morbum inesse Ballonius (7) nos admonuit.

Et re vera omnibus pulmonaribus, & balsa-

(1) Syd in dis. epist. ad Gug. Colè.
(2) Com. in art. med. Gal. cap. LXVII. part. 2.
(3) Morg. epis anat. med. T. I.
(4) Ram de morb. art. cap. XXXVII.
(5) Mor. Phrysio.
(6) Cel. in lib de med.
(7) Ball. T. I. pag. 41.

micis medicamentis irritis, nos domi die invisentis hypocondria leviter tangentes pulsationem, & palpitationem quamdam persensimus, & motus sanguinis, qui ab hypocondriis superiora versus efferebatur, interdum fas erat distinguere, & tunc sanguis ejciebatur e pulmonibus.

Auxiliis pulmonaribus neglectis ad hypocondria etiam atque etiam incumbere cæpimus, & leni purgatione, & veneto sapone imperato curationem instituimus, & æger in melius se habere cœpit.

Si ambas hasce emoptoicorum curationes aspicias, Vir Excellentissime, non comunem prorsus ultimæ emoptisis curationem in praticis invenies, & historiam; neque passim nobis licet hæc observare. In Ballonio (1) unum invenies exemplum, & in Baglivio (2) adumbratum tantum cognosces.

§. VI.

Sed jam ad dissectiones Cadaverum veniamus.

Venit in Nosocomium Rusticus annorum circiter 60. sanguineo præditus temperamento. Hic postridie ejus diei, quo venit in Nosocomium pultem quamdam ex ovis, & cæpis confectam una cum omnibus familiaribus, & domesticis læte, alacriterque, ut ajunt, cenavit.

Elapsis a cena duabus horis, paulatim stomacum dolere, & a vomendi conatu torqueri cœpit: interim ventriculi dolores sic augebantur, ut in lypothimiam incideret. Interea totum abdomen cæpit in tumorem attolli, & sic postea facies, manus, cæteræque corporis partes. Sic in Nosocomium delato, varia auxilia ab adstantibus Medicis sunt imperata, vomitoria scilicet radice hipecacuanæ composita, & oleum amygdalinum cum laudano; verum omnia irrita fuere; erat enim præter dolorem molestissimus quidam toto ventre inexplicabilis

(1) Ball. loc. cit.
(2) Bagl. de hæm. in acut. §. I pag. 44.

lis angor, a quo stomachum convelli æger maximopere quærebatur: tandem pulsuum intermittentia oborta, citissime mortuus est.

Cadaver postridie secandum jussimus, & dissectioni præfuere optimus Dissector Felicius & peritissimi Juvenes Mascagnus, & Semensius.

Primum omnium animadversum est cadaver lividum, & præsertim in superiori parte, & tumor in stomacho, & in ventre apparuit.

Pectore, & abdomine mox apertis, ventriculum, & intestina aere turgida conspeximus; ventriculum vero solum inflammatum, & rubescentem.

Intra thoracem, & abdomen omnia secundum naturam se habentia, & posita occurrerunt, excepto hepate, quod una cum ventriculo maxima inflammatione affectum esse vidimus.

Stomachum aperuimus, & totum illius cavum inflammatione nigerrimum corrosum, & quibusdam in locis gangrenatum invenimus. Insidebat in isto, & præsertim ubi erat inflammatio, & erosio materia quædam nigerrima, & crassissima amurcæ vere simillima, graveolens, quam collegimus, ut de ea tentamina instituerentur.

Fortasse credes Vir Excellentissime ex allata historia veneno enecatum hominem fuisse, & non immerito quidem; nam ex Ruischianis (1) observationibus præclare intelligitur primum, ac proprium devorati arsenici effectum edi in ipsas intimas canalis alimentorum tunicas: verum ab aliis evenisse causis, merito pronunciamus, & a bile acri, & erodente in venenum mutata mortem, & venenata symptomata evenisse aperte confitemur Swetenii [2], & Friderici Hoffmanni [3] auctoritate innixi, & cum cl. Morgagno [4] opinamur a

B 3 pra-

(1) Ruis. thes anat. n. 3 4 & 5.
(2) Van-Sw. com. in Boer. aph. §. 84.
(3) Frid. Hoff. dis. de bile med. & ven. nos corp.
(4) Morg. Epi. an. med LIX n. 16.

prava ipsa humorum dispositione interdum aliquando posse venenum gigni, quam sententiam sequtus est Dominicus Brogianus (de ven. animan. nat. & acquis. p. 150.) Floren. Med. Cel. & in Acc. Pis. Anat. Prof., aliiq. clarifs. Viri.

Et revera de pulte suspicandum non est; omnes enim domestici, qui item eam ederunt, nullum recepere damnum, & nunc optime valent; solus senex grave retulit detrimentum, & morte multatus est. Igitur a prava corporis dispositione, ut supra diximus, & humorum, bilisque præsertim corruptela acquisitum venenum in ventriculo originem habuisse innuimus.

Neque huic nostræ opinioni minus favet totius ventriculi inflammatio, & gangrena, uti in dissectione vidimus: non semper enim gangrenam effectum esse inflammationis, neque inflammationem signum esse gangrenæ demonstravit cl. Sarconius (1). Dantur enim gangrenæ absque ullo inflammationis signo, uti dixere cl. Sauvagius (2) & Swetenius (3). Hinc optime Boerhaavius [4] memoriæ prodidit singularem gangrenæ speciem esse, quæ sine febre, & inflammatione fit &c., & Quesney apud Clercum, ut videre est in commercio litterario florentino, vulgo dicto *Magazzino Toscano* (5), credidit gangrenam effectum potius esse materiæ ærodentis ab inflammatione prodeuntis, quam inflammationis. Has doctrinas in nostro sene comprobatas vidimus. Hepar enim inflammatum absque ullo præcedenti inflammationis signo, ventriculum gangrenatum sine anterioris inflammationis comitibus conspeximus.

Materia itaque illa nigerrima, quæ in ventricu-

(1) Sar. hist. rag. dei mal. oss. in Nap Par. II. §. 638. p. 500.
(2) Sauv. dis. de oper. aer. in cor. hum §. 120.
(3) Sw. Com. in Boer. aph. in tit. de gang.
(4) Boer. aph. 420.
(5) Mag. Tos. T. IV. Par. II. p. 7.

culo inventa est tanta damna excitavit, & corrosiyi veneni indolem acquisivit, & hanc bilem esse diximus scribente cl. Hoffmanno (1): sic & veteres quoque Medici (2) eosdem fieri effectus agnoverunt, & a læthalis veneni potione, & a corruptione, quæ a corpore ortum habeat, ut veneni tum qualitates, tum vires æquet.

Hoc verum esse sequentia ostendunt experimenta.

Micam panis illa bile admixtam devoravit pullus gallinaceus: haud multo post tremens, & convulsus periit. Catellus pultem carne, & eadem materia confectam cum edisset, diris nisibus vomendi vexatus, tandem post horæ quadrantem inflatus mortuus est. Hæc tentamina domi fecimus.

Hyppocrates [3] sane exempla refert morborum a bile profluentium, in quibus iisdem ægri effectibus correpti sunt, ac infelices illi, qui veneni periculum fecerunt. Quæ autem habenda sit fides supra recensitis experimentis, & auctoritatibus, nos Morgagno [4] duce periculum fecimus: cætera flocci: acerrimas enim medicorum contentiones, quæ in observandis oblati veneni cadaveribus, emanarunt (5), libenter omittimus.

Nunc aliquid dicendum est de curatione. Vomitorium, & oleum prudenti ordinatione imperatum est, & præsertim amygdalinum cum laudano commixtum a prudenti, & ingenioso Pagliajo Medico adstante propositum, summis laudibus merito extollimus probante cl. viro Joanne Gentili (6).

Vomitorium vero non improbamus a diligentis-

(1) Hoff hist. corp. hum. anat. cap. XIV. §. 394.

(2) Vide Gal. L. VI. de loc. aff. cap. V.

(3) Hyp L. V. de morb pop.

(4) Mor. epist. anat. med. LIX. art. 18.

(5) Vide Bohnium de offi. med. for. Paul. Zacc. L. II. T. II. quæst. 6 Cesal. L III. cap. VII.

(6) Gen annot alla pag. 64. v. 5. della lett. filos.

tissimo Semensi exibitum præsertim si morbus in initio superandus esset: verum non semper vomitoriis res bene procedit; sunt enim qui natura ad vomendum minus sunt prompti, & inani vomendi desiderio stimulantur, uti docet Wepferus [1], & si cito æger non vomat suspecta bona sua debet habere.

Ne longum faciamus teste cl. Morgagno (2) affirmamus lacte ac sero, si possibile foret, hominem fortasse servari potuisse, quorum copia quidquid venenatæ biliosæ materiæ, aut ejus effectum in ventriculo restabat irretiendo, diluendo, abstergendo, & per alvum educendo omnis venenata vis suppressa foret. Hæc testatur Baccius [3] & ipse Morgagnus (4).

§. VI.

Sectionem nunc audi hominis pleuritici, qui postea peripneumonia biliosa occubuit.

Decumbebat in Xenodochio Rusticus annorum circiter 40. biliosо, & cachetico temperamento. Querebatur de lateris dolore, febre laborabat acuta, & vires erant fractæ, & deperditæ: pulsus molles, fugacesque. Tertio morbi die aucta spirandi difficultas, sputa pauciora, crassa, densa, & flava, iteratæ ventris dejectiones: in lethargum tandem incidit die septimo, & sic sæviore in dies facto morbi impetu, intermissio pulsuum accessit, & biliosæ per secessum materiæ ejectio.

Decimo tertio die pejora erant facta omnia, & insequuta nocte, inter crebras intermissiones deficere pulsus cæpit, & suppressis sputis, & consopito lateris dolore decimo quinto ineunte die vivendi finis est factus.

Thorace aperto pulmo dexter pleuræ sic adhære-

re-

(1) Vepf. sepul. sect. X. in schol. ad obs. 3.
(2) Morg. Ep. ant. med. LIX
(3) Bac. de ven. ubi de part præ. n. 1.
(4) Mor. loc cit. n. 6.

rebat, ut vim adhibere opus fuerit ad hanc coalescentiam superandam, ut in aliis casibus evenisse dixit Morgagnus (1). Eumdem pulmonem nec inflammatione vehementi, neque abscessu, nec suppuratione tentatum fuisse vidimus.

Observatione dignum existimamus pulmonem in lobo tantum dextro auctum esse, & tumore, & duritie, & substantia, bilibrem quasi diceres, & nos admirati sumus. Videtur & Hyppocrates [2] illud observasse: dixit enim, *cum in pulmonem fluxio facta fuerit . . . major redditur, & lobi majores redditi utrumque latus attingunt, & peripneumoniam faciunt*: & alibi (3) de eodem morbo agens dicit, *hic tumor potissimum a sanguine ortum ducit; cum pulmo in se sanguinem attraxerit, & acceptum retinuerit*.

Eamdem observationem nobis tradidit Fridericus Hoffmannus [4], quam cl. Swetenius [5] pulcram vocavit.

His igitur auctoritatibus, & observationibus nostrum ægrotum vera sanguinea pulmonia laborasse manifeste apparet. Verum ex supra recensita historia cognosces ex perniciosarum, & mollium pleuritidum genere, ut ait Hyppocrates (6) ægrotum occubuisse. Erat enim febris acuta, pulsus parvus, & debilis, anxietas, lethargus, doloris exsurdatio, sputum flavum, biliosum, crassum, & ventris biliosa solutio, & sic infra humore secedente, ut idem Hypp. ait (7) sputi purgatio sursum non prodibat: quamobrem alibi pronunciavit

Cous

(1) Morg. ep. ant. med. de pect. lat. & dor. dol. XX.
(2) Hyp. lib. de loc in hom cap. VII
(3) Hyp de int. aff. cap. VII pag 643.
(4) Frid. Hoff med rat. syst. T. IV. sect II. Cap. VI. obs. I Idem diss X de gen mor in morb. pag. 528.
(5) Van-Sw. com in Boer aph. 824.
(6) Hyp. de mob l III. n. 16.
(7) Hyp. loc. cit. n. 17.

Cous Senex (1) a morbo laterali habito alvi profluvium adveniens, malum. Pessimum vero dixerunt optimi pratici Baglivius (2), & Riverius (3), & Sennertus (4) signum esse in pleuritide & peripneumonia, si dolor absque ulla symptomatum remissione, ut in nostro ægroto accidit, evanuerit; gangrenam enim obortam, & partes jam sensu destitutas esse prædicant auctores, unde cita mors expectanda; dolere enim debent inflammatæ membranæ pulmonem vestientes, & ipsis contiguæ ob nervos in ipsas immissos, uti vult Schneiderus (5), & uti confirmat Vieussenius (6), qui nerveas quamplurimas fibras in eas desinere tradidit.

At in nostro ægroto nec gangrenam, nec magnam phlogosim, nec suppurationem invenimus: unde igitur morbus, & mors? Dicimus cum Hyppocrate [7] non repente morbos hominibus accidere, sed paulatim collectos acervatim apparere. Jamdiu parabantur morbosæ dispositiones, quæ postea accedente biliosa colluvie auctæ sunt, & in pulmone sævierunt (indurati enim pulmones semper simul syderati depræhenduntur, sic testatur Wepferus [8], & nos ita observavimus) & humores labefacientes, & nervorum obstupescentiam, posteaque mortem attulerunt. Vide igitur quot, & qualia conspiraverint ad nostri ægroti exitium: poterant vires peripneumoniæ superari, nisi biliosa vis, & putrida colluvies cætera damna, & inevitabile fatum non attulisset. Sed de his hactenus.

§. VII.

Ascitici nunc dissectionem audi. Ve-

(1) Hyp. sec. VI. aph. 16.
(2) Bag §. de pleu.
(3) Riv. de peripn.
(4) Senner. med. prat. L II.
(5) Schnei. dis. de perip. cap. II. §. 26.
(6) Vieus. Neur. L.III. cap. IV.
(7) Hyp. de diet. n. 3.
(8) Wepf. in lep. L.IV. §. 3. in addit.

Venit hoc menſe in Noſocomium aſciticus ventre turgido, & in magnam molem elato, ſcroto, pudendiſque mirum in modum ob ſeri effuſionem inflatis, macie confectus, viribus deperditis, pulſibuſque febricitantibus. Solitis ſympthomatibus, quæ aſciticos comitari ſolent, vexabatur æger, ſcilicet ſiti, tuſſi, anxietate &c., & quod erat admirandum non poterat æger in dorſum quieſcere, verum ſemper ſupra abdomen incumbere coactus eſt.

Non unis adhibitis auxiliis nihil profectum eſt, & noviſſime cum alvus ex dura facta eſſet laxior, & perſiſtente fluxu cum venter non decreſceret, vires in dies frangebantur, ideoque prædicente Hyppocrate (1) citiſſime & ſentiens, & loquens obiit diem ſupremum.

Poſtridie diſſectio incepta, & pertuſo abdomine vis aquæ ingens emiſſa eſt ſic graveolens, ut nihil amplius: quæ prima effluxit fuit ſubflava, deinde tenuis, & ſubalbida. Poſtea viſceribus perluſtrandis operam dedimus, & præſertim jecori, & lieni, cum præſtantiſſimi Anatomici, & Medici in his viſceribus morbi ſedem & originem haud raro recognoverint. Verneyus [2] junior in aſciticis duabus virginibus per diſſectionem jecur male affectum obſervavit.

Idem teſtantur Naturæ Curioſi [3] & clariſs. Lentilius [4] Epar, & Lienem in Aſcitico magnum fuiſſe confitetur.

Nos vero in noſtro Aſcitico hæc vitia non aſpeximus, & quidem admirantes; nam morbum qui in primis a retardato motu ſanguinis plerumque ſolet oriri, a vitio viſcerum provenire credebamus, ubi ex inſtituto naturæ ſanguine retardato cauſæ remorantes adjunguntur.

Jecur

(1) Hyp L. IV. de morb.
(2) Ver mem. des acc roy. des. Scienc. an. 1701. & 1703.
(3) Act N. C. dec. 3. Ann 5. & 6. obſ. 276.
(4) Eph. N. C. cent. 1. 2. obſ. 168.

Jecur in primis cum aſpeximus inalteratum, & naturale invenimus: omnia in abdomine ſana, & naturalia; lienem non admodum a naturali ſtatu diſceſſum: nec hydatides, nec obſtructiones in glandulis meſenterii invenimus. In Thorace pulmonum adhærentiam vidimus, & præſertim in dextro. In Pericardio vero nihil humoris, & ipſum per fibras multas membranaceas cordi ſe annectere incipiebat; in cordis ventriculis polypoſa fuit concretio. & in auriculis concretus ſanguis.

Nulla alia præter naturam inventa; ideoque diſſectioni finem fecimus.

Cur hic æger in dorſum cubare non poſſet ſtatim intelliges, ſimul ac cogitas a pondere aquarum, Abdominis caveam ampliorem fieri; toto enim pondere Abdominis muſculis commiſſo Diaphlamma altius non impellebatur; hinc in abdomine melior quies, meliorque reſpiratio.

Sed cur hydropici cuncta viſcera bene ſe haberent, neſcimus qua ratione totum abdomen aqua turgeret, & cur æger in aſcitem inciderit.

Meminimus hiſtoriarum Dodonei (1) & Plateri, qui ſalvo epate & liene hydropem ſecutum fuiſſe demonſtrarunt. verum vitium in renibus, & ureteribus invenerunt præmonſtrante Euſtachio (2) & docente Galeno (3). Nos nihil aliud quam ſupra enarravimus cadaver perluſtrantes invenimus; vides igitur cur morborum origines non facile interdum poſſint explicari; quamobrem cum clariſs. Morgagno affirmamus [4] vix quandoquidem aut ne vix quidem comperiri poſſe quid morbum faciat, & quid hominem interficiat.

Sed jam ſatis tua patientia abuſi ſumus, Vir Excellentiſſime, interim obſecro ut hæc noſtra ſcripta perlubenter accipias, & enixe tuis foveas patrociniis.

(1) Sepul ſec. 21. obſ. 25.
(2) Euſt Tract. de renib. cap ultim.
(3) Gal de nat facul. lib. 1. cap. 13.
(4) Morg. Epiſt. Anat. Med XLIX. n 1.